



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioan. Petri Maffei, Bergomatis, E Societate Iesv,  
Historiarvm Indicarvm Libri XVI.**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Antverpiae, 1605**

Lvdovici Amleidae Ad Socios.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11473**

egre impetrata, de Cosmi valetudine atque incolumitate sollicito, Firandum vterque profecti sunt. Funaii autem, vbi à Christianis audicim est, Cosmum profectionem parare, mœrentes continuo ad eum ventitare cœperunt, parentem illum atque pastorem agnoscere, manibus hi, illi etiam humi prostrati, pedibus oscula figere: quibus Cosmus exposuit, quàm iustis de causis iter illud ingrederetur, & simul mandauit, vt vicariis, donec rediret, (quod propediem erat futurum) diligenter obtemperarent: atque ita ab eis digressus est, multis eum viris, mulieribus, pueris magno eum luctu ac mœrore extra oppidum prosequentibus. quo absente, cum barbari se in templum nostrum insolenter inferrent, ea re cognita Rex misit è familiaribus suis, qui templum assidue custodirent, & in vincula abriperent, si quis in eum locum se contumeliosè gessisset: atque eiusdem præsidii negotium duobus etiam primariis ciuibus dedit, in ea vicinitate habitantibus. In ipso autem itinere labores atque pericula Cosmo non desuere: tertio quippe die in latronum insidias incidit, quorum vnus intentum iam arcum in Cosmi pectus non sine magno eius vitæ discrimine obuenterat, cum ex ipsius comitibus quidam, ante sagittam emissam, adductas arcus habenas præcidit. Firandi autem magna cum gratulatione à Lusitanis exceptus, qui nauis vexilla sustulerant, & tormentorum strepitu lætitiâ significauerant, in ædiculam diuertit ab Ludouico Almeida raptim, dum templum ædificatur, exstructam: vbi cum cæteros Christianos, cognito Cosmi aduentu, terra ac mari vndique confluentes, tum nautas ipsos Lusitanos admissis noxis per confessionem absoluit iisdemque facillè persuasit, vt cum oneraria ex eo portu discederent. Hæc habui de Iaponensium rerum progressu quæ scriberem. Vos Dominum precari assidue insistite fratres, vt nos idoneos veritatis Euangelicæ præcones efficiat. è Būgo, v. Idus Octobris, MDLXII.

## LVDOVICI ALMEIDÆ AD SOCIOS.

**A**NNO superiore cum, Ecclesiis Facatæ, Firandi, aliisque lustratis, in Bungum ægrotus ex itinere rediissem, vt primùm è morbo conualui, de tota peregrinatione mea feci vos per litteras certiores, quas quoniam vobis esse gratas intelligo, pergama scribere, quæ quidè in iis locis euenere, in quibus mihi versari ex eo tempore contigit: nam cætera ex aliorum litteris cognoscetis.

Firandi erat Christianus quidam quintum circiter & sexagesimum agens annum, scriba Regis intimus, quem ille apud se in hono-



honorē habebat, liberaliterque tractabat. Is igitur Christianus et animaduertens se iam ad vitæ exitum appropinquare, susceptas in vita maculas matura Confessione delere, & (quoniam nullus erat ibi Sacerdos) Bungum vel cum Regis offensione periculoque familiaris petere omnino constituit. rem itaque cum vxore communicat; quæ (vt erat præstanti virtute ac pietate mulier) consilium vehementer probauit: illud solummodo monuit, vt quæ occultissimè abiret, ne in se Regis iracundiam prouocaret. Quæ circa nauem Christianus intempesta nocte conscendens, in Bungum iter intendit: cuius discessu postridie cognito Rex, partim quòd eius opera admodum indigeret, partim quòd se inconscius inuitoque abiisset, iratus, nauigio statim instructo, misit qui hominem persequerentur. Iamque magno suo bono è finibus Firandensis regni in Reguli cuiusdam ditionem euaserat, cum superuenientibus qui ad eum capiendum missi erant, Reguli iussu, et cum Firandensi Rege amicitia intercedebat, eodem Rege potestate oppressus & in custodiam traditus est. Firandi ubi cognatus est illum inuentum fuisse, nec tamen vt rediret vllò pacto adducere potuisse, legauit ad eum Rex cognatos ipsius nonnullos, qui ad redeundum hortarentur: sed vxor contra per litteras ei suum suscepto itinere nequaquam desisteret, bonoque animo esset, laborum ipsius periculisque breui consortem futuram, sed videlicet currentem incitabat. Cosmus autem ubi id rescieuit, egit cum Rege Bungi, vt Christianum ab regulo per litteras impetraret: quas qui pertulit litteras, offendit hominem magna in Deum fidespeque subnixum, de se ipso autem adeò demissè maleque sentientem, vt non modò qui in Bungum ad Confessionem incoerentis perueniret, sed qui vllò prorsus beneficio afficeretur in Domino nostro, se prorsus indignum affirmaret: tantoque in ipsum odio erat incensus, vt ad quotidianas verberationes, & precandam assiduitatem, & alia quoque voluntaria supplicia adiungeret, tanta cum sui cognitione, vt precibus Christiani, qui regiam pistolam attulerat, nequiuerit adduci, quicquam vt de instituta austeritate remitteret. Denique solutus in Bungum agere potuit tanta animi sui cum voluptate, tantasque Deo gratias agere vt rem verbis assequi nequeam. Cuius aduentus cum ad caritatem multa profuit, tum ad Christianorum fidem ac spem in Domino augendam. Eum Cosmus, pueris, quos alimus domi, instructis præfecit, & piis quibusdam libris in Iaponicum sermonem vertendis. Magnum apparet in eo precandi studium & caritas: & licet extrema sit iam ætate, vix vnquam cessantem reperias. Eam



Dominus ad finem vsque conferuet.

Per idem tempus nobilis quædam mulier, primarii ciuis vxor, ex familia regis Bungenfis, à dæmone agitata, per campos tanto cum vlulatu atque impetu ferebatur, vt à nemine contineri posset. Hâc sibi Cosmus à Christiano quodam insigni viro commendatam ad se perducit, & in cubiculo publici valetudinarii, perpetuis custodibus adhibitis, collocari iussit. Et quoniam in spem venerat mulier, se baptismi beneficio sanitatem esse recepturam, habebatque mentis eius animique vexatio dilucida interualla; iis opportunè Cosmus est vsus ad eam Christianis præceptis ritè imbuedam, quibus vt satis erudita visa est, in magna Christianorum corona, eam Dominico die baptizare constituit. Erat mulier tum sanè quieta, sed cùm primùm caput salutari aqua perfundi ceptum est, tanta repenti vi se commouit, clamoresque edidit ita magnos, vt omnes, quotquot aderamus, perterrefecerit. Tum Cosmus à quattuor viris apprehensam, teneri ad finem vsque Baptismi imperauit. quo absolutò misera fractis viribus concidens, inter famulorum manus in hospitale cubiculum est relata. Ex eo tempore nullum eiusmodi incommodum aut molestiam hucusque perpessa est. quare & Christianorum fides non mediocriter aucta, & maritus ipsius ita permotus est, vt ab rege petierit, sibi per eum liceret Christiana sacra suscipere; quod ei Rex ita prolixè libenterque permisit, vt diceret gratum sibi fore, si eum reliqua familia imitaretur. itaque baptizatus ipse cum liberis, cognatis, & famulis, sanè quàm in virtute proficiunt. Ego interea vires è morbo collegeram. quo circa mensis Octobris initio misit me Cosmus, comite è Christianis domesticis vno, ad templa quinque visenda, variis locis regni Bungenfis commo- do Christianorum exstructa, mensẽ in eo itinere posui, multos baptizauit ethnicos, Christianos autem docui, qua ratione templa concelebrarent, sermonesque inter se de religione sererent, si quando ad urbem venire non possent. quasdam etiam areas defixis Crucibus Christianorum sepulture dicauimus: denique in singulis templis benedictum seu piaculare granum relictum cum codicillo, qui descriptas grani indulgentias contineret. Inde ad Cosmum reuersus, Cangoximam mense Decem- bri tetendi. profectionis causa fuit Emmanuelis Mendozæ cum sex Lusitanis aduentus, qui vt per Confessionem peccatis sunt absoluti, Cosmum rogarunt etiam atque etiam, vt me Cangoximam ad hyemem ibi cum ipsis exigendam, Christianos visendos, & promulgandum genti Euangelium mitteret. id ipsum Regi



quoque Cangoximano fore gratissimum, quippe qui magnam eius rei voluntatem scriptis ad Praetorem Indiae litteris, itemque ad Antonium Quadrium eidem provinciae pro Societate Praepositum, ostendisset. è Bnngo igitur (ut dicebamus) profecti, gelu, & frigoribus maximis, quartiduo ad mare peruenimus: cum semper, ubi sub vesperam constiteramus, verba de rebus diuinis ad incolas fecissemus. Inde solutis anchoris, inter nauigandum, aduerso vento in oppidum sanè frequens coacti descendere, cum spectaculi nouitate permota (nunquam enim Lusitanos antea viderant) magna hominum vis ad nos conuenisset, per eam occasionem eis Euangelium nunciauimus: quo illi audito, obstupescerunt, ad nos audiendos iterum ac tertio redire, atque uisiteri parè professi sunt, nisi Reguli metus obstaret, se Christo nomina libenter daturòs, idque eo cum animi dolore sensuque, ut nos ad misericordiam prouocarent. Dixi me cum Regulo acturum, (qui Bungenis Regis est stipendiarius) ut cuilibet Christiano esse impunè liceret: eosque solatus ut potui, ex eo loco discessi. digressu meo lacrymae nonnullis oborta, ut si diu mecum vixissent, apud quos non toto biduo fueram, ex quo facillè iudicare poteris, quanta sit huius gentis ad humanitatem religionemque propensio. Angunem delati, & à Regulo peramanter excepti, ut primum opportunum est visum, de rebus diuinis & animorum immortalitate cum eo colloqui coepimus: multisque sermonibus vtroutroque habitis, cum etiam familiarè partem à cena ad audiendum accersisset, sera iam nocte ab Rege dimissi, nauarchum quendam Lusitanum sanè tempestiuè conuenimus: cum enim nostra hortatione permotus, concubinam, ex qua deus susceperat filias, iusta cum dote in matrimonio legitimo collocasset, paucis post diebus est mortuus. Ex eo portu Tamaritendibus, ubi Emmanuelis Mendozæ nauis in statione erat, arx in itinere occurrit Hexandoni viri principis, in edito monte posita, omnium, quas in vita videre me memini, & loco & operum munitissima, quippe quam decem ferè propugnabula cingunt, inter se non nisi ponte subductili peruia, magnoque interuallo distantia, fossis ita profundis, ut despicientium oculis altitudo caliginem offundat, perpetuo (ut aiunt) silice ferramenti exciso: quod equidem vix hominum manu fieri potuisse crediderim. ibi cum Hexandoni uxorem & quattuordecim præterea Christianos multis iam annis Franciscus Xauerius Deo peperisset, mihi facerendum existimaui, ut me ad eos consolandos confirmandosque conferrem, qui me omnes, sed vxor præsertim Hexandoni, amicissimè ac ceptim,



acceptum, multa cum de Francisco Xauiro, tū de Bugensi, Mea-  
 cenſi, ceteriſque in Iapone conſtitutis Eccleſiis percontati, felici-  
 que ipſarum progreſſu valde lætati ſunt. me autem idcirco etiam  
 libentiùs viderunt, quòd iam diu neminem omninò è Societate no-  
 ſtra conſpexerant. quo toto temporis interuallo eos in Chri-  
 ſtiana fide partim ſenis cuiuſdam Chriſtiani, honorati viri velut  
 magiſtri familiaris ſtudio, partim etiam quibuſdam miraculis diui-  
 na providentia retinuerat. Relictum ſibi libellum deſcriptis Xa-  
 uerii manu Litaniis, aliſque precandi formulis, æquè ac ſacras  
 reliquias pia mulier admodum religioſè custodiebat, expetæ vir-  
 tutis remedium. Etenim ægrotos complures, in iis Hexandonum  
 iam deſperatum, corporibus ipſorum impoſitus libellus ille  
 ſanauerat. Nec minore cura ſenex traditum ſibi ab eodem ſer-  
 uabat flagellum, quo ſinguli Chriſtiani interdum (nec enim ſæ-  
 pius permittere ille, veritus ne uſu nimio abſumeretur) ſeſe cæ-  
 dere conſueuerant, quòd eà rem non ſolùm animis, verùm etiam  
 corporibus prodeſſe diuinitus intelligerent: itaque mulier ipſa  
 quam diximus, morbo grauiffimo implicata, cum varia medica-  
 menta fruſtra tentaret, ad ipſum flagellum poſtremò confugiens,  
 Franciſci Xauierii, vt putandum eſt, meritis continud in priſti-  
 nam valerudinem eſt reſtituta, cum omnibus igitur de re di-  
 uina familiariter collocutus, ara etiam excitata cum beatiffi-  
 mæ Virginis imagine pereleganti, quam eò mecum attule-  
 ram, pueris nouem, in iis duobus Hexandoni filiis, Baptiſmo  
 luſtratis, (quos iam ſenex ille Chriſtianiſ rudimentis imbuerat)  
 incredibili cum eorum mœrore poſtridie manè diſceſſi, com-  
 meatu ab ipſis aſſatim inſtructus, atque pollicitus me in reditu, quin-  
 decim dies apud ipſos commoraturum, Cangoximam ſimulatque  
 peruenimus, Regem adiui conſeſtim, eòque collaudato quòd Euā-  
 gelium in ſuo regno promulgari cuperet, multiſque præterea ver-  
 bis habitis, petii vt liceret mihi in præſentia Tamarim uſque ad Lu-  
 ſitanorum ſtationem excurrere. quòd ille cum permiſiſſet, ea tamē  
 conditione, vt auum ipſius ex itinere inuiſerem, Tamarim tridui  
 itinere, diuertentes ad Regis auum, ite perreximus, maxima niuiū  
 copia, quæ aciem oculorum retunderet, viaque terretima, oc-  
 cultis paſſim occurrentibus foueis, è quibus iumenta ſeſe ægro  
 admodum expedirent. In eo igitur portu, ægrotis primùm cu-  
 ratis, quorum ingens erat numerus, partim ſauitia frigorum, par-  
 tim etiam cibatorum inopia: deinde ethnicis nouem, qui id-  
 ipſum à me diu multumque contenderant, baptizatis: certo præ-  
 terea nauis loco, ad feminarum tutelam de Iaponiis coëmptarum



(quas illi ex ora Sinarum aduexerant) custodibus binis appositis, denique communi consilio indicta pecuniaria multa, si quis commere iusiurandum usurpasset, (latè enim patebat hoc vitium) Cargoximam redij, & conciones ad Christianos habere institui. nam ethnici veriti Bonziorum offensionem, ad nos venire non audebant: quod ego cum animaduertissem, cepi consilium familiaritatis, si quo modo possem, atque amicitia cum Bonziis inuende, quò deinde populus ad nos maiore cum fiducia ventitaret. Erat in eo ordine vir quidam insignis, magna etiam ante id sacerdotum existimatione, tum verò & Regis ipsius consiliarius, & amplius nobis tribus summa cum potestate prepositus. Hunc igitur ad colloquio ad oculos curandos, quibus ipse laborabat, allato: atque ille meo sanè quàm lætatus aduentu, sibi valde optatum fuisse dicebat, quæ Xauerius disputaret, cognoscere; sed interpretem de fuisse. Inde me multa de summo rerum opifice, de immortalitatis animorum, de tempestatum varietate, terræ tremoribus, plurimisque aliisque rebus huiusmodi interrogans, magna sua cum voluptate totam eam noctem apud se detinuit. Quibus ille sermonibus captus, cum ad me sæpe, alio item Bonzio comite, ego vicissim ad illum familiariter ventitarem, cumque doctrinam nostram tum apud alios, tum apud Regem ipsum ita collaudasset, vt Rex Xixona (hoc est sanctam rem) publicè responderet; vel et Regis testimonio, vel confirmata atque illustri mea cum Bonziorum consuetudine animati ethnici ad nos audiendos venire ceperunt: è quibus multos Deo adiuuante ad Christum adiunximus. In eo numero fuere primarii duo Regis ipsius cognati, quos catechismo institutos vnà cum vxoribus & parte familiæ (triginta quinque in vniuersum fuere) baptizauimus, quorum deinde omnium operam studio sacrum Deo Domino templum exstructum est.

Rebus ita constitutis, per Christianum nuntium in arcem Hexandoni magnis precibus accersitus, optimis cum Christianorum, tum etiam reliquorum studiis me magnopere expetentium deesse non potui; è quibus circiter quinque primarii audito aliquoties Euangelio ad Ecclesiam adscripti sunt: in iis quidam adeò excellenti ingenio, vt in commentarium relatis iis, quæ de me didicerat, librū confecerit, exorsus ab ipso mundi initio ad vsq; Christi Domini nostri in terras aduentum, eius præcipuè cruciatibus singillatim enumeratis, quæ ipsius lucubratiō & hominibus illis, & aliis etiam populis, ad quos eam ego ipse deinde circumtulit, maiorem in modum profuit. Idem iussus à me Iaponica quædam scripta de Christiana religione describere, mādaturam ita au-



dè arripuit, vt opus vniuersum (omnino foliis quinq; & quinquaginta constabat) vnius dimidiatiq; diei spatio absoluerit. Hunc ego, & Hexandoni filium natu maximum, què Xauerius baptizauerat, docendis in templo cæteris Christianis præfeci, regula præscripta, quam in eo munere obeundo tenerent, quam quidem in rem, vt quibus otium suppetit, diligenter incumbunt, præsertim verò librarius ille quem dixi: qui quidem Christianis lectionibus & commentationibus mirificè delectatur, seque cum libro, quem à me descripsit, in lucum abdens, quæque legit ex eo secum identidem reputans, tanta voluptate perfunditur, quod ad hanc Dei rerumq; cælestium cognitionem peruenerit, vt lacrymas præ gaudio continere non possit. Is ipse in Christianorum cœtu post Litanias publicè decantatas interrogatus à me quidnam esset factururus, si Rex ei diceret, Christiana sacra fac deferas, quoniam ex meis popularibus es, meisque sumptibus victitas, responsurum se dixit illico: Hæc, vis ne me in te sine fuco ac simulatione beneuolum? in re tua familiari procuranda fidelem? vis me submissum? vis perferentem iniuriarum? vis denique in omnes clementem ac benignum? iube me esse Christianum: hæc enim virtutes omnes vna religio Christiana complectitur. Ac cæterorum quoque Christianorum (ad quorū numerum ibidè alii septuaginta per eos dies accessere) egregia pietas, assiduū precædi studium, mirus inter se amor atq; concordia cernitur: vna tantū res ipsorū animos vehementer angebat, quod Hexandonus communiū mentorum Ecclesiæ expers tamdiu in Iaponica superstitione persisteret, pro cuius conuersione eūm preces ad Deū, & lacrymas cuncti, sed vxor ipsius præsertim quotidie funderent: tum ego eiusdem vxoris rogatu hominem adii, & ex eo quæsiui, cur veritatem sæpe iam cognitam depositis Iaponiorum erroribus sequi negligeret. Tum ille Deum testatus Christianam religionem sibi planè probari, alioquin permissurum se nequaquam fuisse, vt eam familia sua rota susciperet: vna re, quo minus eos imitaretur, impediti se dixit, quod vereretur, ne grauius animum Regis offenderet: sperare se Deo propitio fore aliquando, vt Rege ipso libente, Christum, quem intimis sensibus adorabat, palàm ac libere profiteri posset. quo illius responso Christiani valde lætati sunt. Inde cum rursus ad Cangoximanos venissem, Cosmi litteris per Christianum Bungensem ad me perlatis eo consilio sum reuocatus, vt ad Regem Vocoxiuræ proficiscerer, qui nos in suū regnū liberalissimis conditionibus inuitauerat: cum præter alia multa, & Lusitanis omnibus in eum portum commeantibus, quiq; eū



ipsis negotia contraherent, in decennium ab omni portorio im-  
 munitatem se daturum esse promississet; & quicquid circa est agri  
 ad passuum octoginta millia Cosmo obtulisset, ut intra eos fines  
 ethnicus nemo ipsius iniussu habitare posset. Cangoxima igitur  
 institutis qui, Christiano grege in templo statis diebus aduocato  
 pastorum vice ac munere fungerentur, baptizatisque iis, qui iam  
 id Sacramentum idonei videbantur, ceteros quibus potui verbi-  
 sum consolatus: duos praesertim Bonzios illos, de quibus dixi: quos  
 in discessu meo perquam studiosè Christo nomina profitentes, in  
 aliud tempus idcirco rejeci, quòd à curandis Iaponico ritu Regi  
 procerumque funeribus nulla ratione se posse desistere diceret, et  
 que re Christiana sacra, quae ipsi apud se taciti colerent, minime pos-  
 sidentur iri arbitrarentur; denique à Christianis vario comœtatu pre-  
 amanter instructus, & magna cum doloris amorisque significati-  
 one dimissus, ad arcem Hexandoni, (quae ab oppido Cangoxima pas-  
 suum abest decem & octo millia) dum naus paratur, biduum sub-  
 stiti, atque inde incredibili Christianorum dolore ac gemitu, ipsi  
 etiam ex arce summa feminis ad mare me deducentibus, & quibus  
 eo salus omnium verteretur, ita me ut celeriter ad se redirem con-  
 roganibus, conscendi, & decimo septimo die in Bungum magna  
 nostrorum gratulatione perueni, atque inde tercio Nonas Quin-  
 les Vocoxinam, qui locus ultra Firandum est quattuor & viginti  
 passuum millibus, discessi: quòd ut perueni, salutatis ex itinere Fac-  
 tensibus, (qui cum initio diu multumque Euangelio restitulis  
 belli deinde perdomiti ac velut subacti, diuinum semen liberum  
 acceperunt, bonamque in primis virtutum frugem tulerunt) Be-  
 gem Vocoxinam primum adii, qui me honorificè sanè bis conu-  
 excepit, deinde cum eius ministro, qui Regis ipsius nomine ad Cos-  
 mum litteras dederat, de re communi agere institui, cumque  
 quaedam ex iis, quae per epistolam nobis ultio detulerat, reuocari  
 faciendum mihi existimaui, ut ad Cosmum scriberem, eique totam  
 rem integram reseruarem. Ad portum igitur reuersus, dum in Ch-  
 stianos ex instituto adiuuandos incumbo, Firando nuntii per-  
 runtur, quanto cum rei Christianae adiuuamento Damianus Iaponi-  
 familiaris noster, excellenti pietate virtuteque iuuenis, qui nuper  
 Facatensibus quoque summa cum omnium admiratione opera-  
 nauarat egregia, in eo oppido veriaeretur; nec ita multo post, quae  
 dam parantibus nobis, quae ad Cosmum mitteremur, ecce riuus  
 pentè affertur ipsum adesse Cosmum. Primò incredibilis visus  
 ea Cosmi aetas ac valetudo, ea difficultas itinerum est; sed ubi  
 ad portum applicuit, quanto gaudio affecti sumus, facilius est re-



bis existimare, quam mihi scribere. is me confestim ad Regē legavit, ut cum eo rem omnino transigerem. quod ego cum fecissem, ablaris etiam syngraphis, in Bungum ipsius Cosmi iussu ad epulas in aedibus nostris (id enim semel in anno solenne est) Regi Bungenfi parandas excurri: quod secum ille filium hæredem regni futurū meo rogatu cum proceribus duxit. Cūque in eō conuiuiō candidati pueri nostri domestici quattuor magna cum omnium delectatione sibi canerent, Regis filius mensa relicta sese ad æquales suos hilariter ac festiue recepit. puer ille quidem, ac panè potius infas, (annum quippe agit quintum) sed in quo sensus animi ac ratio longè præcurrat ætatem. è Bungo rursus Vocoxiuram reuersus, qui locus à Christianis incolitur, habetque in mōte summo Crucem, quæ eminus valde conspicitur, à Petro Barreto nauarcho Lusitano defixam, quod eodem loco tribus deinceps diebus sub vesperam, inspectante se, aliisque compluribus, sublime in aère signum Crucis apparuisset; Cosmum sanctissimis (ut solet) occupationibus districtum offendi. Tanti ad eum Confessionis & Eucharistiæ causa concursus vndique Christianorum fiebant, ut omnis perturbationis vitandæ causa, tricenī per vices ordine sibi succedere iuberentur. quorum erat ita magna in Cosmum obseruantia ac veneratio, ut coram eo oculos atollere non auderent: tanta religio ac pietas, ut in sacris mysteriis obeundis, ac præsertim in corpore Christi sumendo, copiam lacrymarum effunderent: ea denique animi virtus ac probitas morum, ut barbari ipsi Christianorum vitæ admiratione sese colligerent, & seueriorem vltro disciplinam induerent. Per eos dies Facatensium Præfectus nauigium cum hominibus ferè triginta ad Cosmum misit rogatum, ut quoniam tres è militibus suis in prælio sclopis icti grauitè ægrotarent, opem illis ferre ne grauaretur. Fecit Cosmus, ut Facatam è domesticis nostris adolescentem Iaponium mitteret chirurgiæ laude præstātem, qui non modò vulnera extractis artificiosè glandibus mira felicitate sanauit, sed etiam oblatam sibi mercedis loco magnam argenti vim, stupentibus barbaris, constanti animo excessoque repudiauit. Qua re commotus Præfectus, ut nos aliqua ratione remuneraretur, immunitati nostræ toto suæ ditionis imperio, qua sæpe nobis iter habendū intelligebat, publicis diplomatibus cauit.

Restat ut epistolam hanc eximix indolis adolescentuli cōmemoratione concludam: in quem cum omnia & animi & corporis bona quasi secum ipsa certans natura congererit, tum etiam dona accessere caelestia, quæ singulare pueri ingenium, memoriam, oris



corporisq̄ue totius dignitatem ac speciem multo admirabiliorē  
 efficerent. tanta enim in eo castitas ac sanctimonia cernitur, vt o-  
 ctavo quoque die post confessionem ritè peractam cæleste Eucha-  
 ristia conuiuium non sine lacrymis ineat: tãta verò animi submis-  
 sio & humilitas, (cùm illustri admodum loco sit natus) vt ad Bu-  
 gensem inuisendam Ecclesiam a Gaspare missus ex vrbe Sacai-  
 bona cùm parentum venia, quos puer precibus expugnaerat, co-  
 simulatque peruenit, vt scilicet vnus è Christianorum grege videretur,  
 non modò comam sibi totonderit, quod in Iapone valde  
 inusitatum est, verùm etiã omni delicatiore cultu ornatuque ab-  
 dicato, de contemnendis rebus humanis publicè disputare in-  
 tuerit. Idem in patriam à parentibus reuocatus, Vocoxiuram vt  
 inde Sacaium renauigaret, à Cosmo perductus est. quem auium  
 itinere in vrbe Firando apud vxorem Antonii viri principis, eius-  
 que ancillas, cùm se per id tempus ad sacram confessionem para-  
 rent, de Pœnitentia sanè opportunè verba fecisse: quam ille Chri-  
 stianæ philosophiæ partem, iam antea sapius à se tractatam, calle-  
 egregiè. Huiusmodi pueri sunt, (fratres mihi carissimi) quorum o-  
 pera faces amoris diuini Deo aspirante Iaponiorum cordibus in-  
 iectum iri speramus: atque ob id ipsum apud nos delectam eorum  
 manum Societatis nostræ præceptis atque institutis imbuimus.  
 Interea Socios omnes nostros per Iesum Christum obtestor, vt  
 eo precibus impetrent, vt mihi det in ipsius obsequio ac famula-  
 tu vitam ponere. ex Iapone, octauo Calend. Nouemb. MDLXII.

REGIS CANGOXIMANORVM AD LVSI-  
 TANORVM INDIAE PRÆTOREM.

**A** N N o superiore cùm duo ex Societate IESV meum in hoc  
 regnum concionandi causa venissent; bellicis occupatio-  
 nibus impeditus, quem & ego cupiebam & ipsi merebatur  
 honorem, illis habere non potui. Eadem fuit causa, quæ  
 Lusitani ad Omangum portum pauca delati, non modò pernici-  
 ac voluntas mea & ipsorum dignitas postulabat, accepti non sunt  
 sed etiam pro piratis habiti, (quibus ora maritima per id tempus  
 erat infesta) commisso prælio Alphonsum Vasæum, non sine meo  
 quidem dolore, è suorum numero amiserint. Tu si ad me litteras  
 dederis, magno me decore auctum atque ornatum existimabo, at-  
 que ipse vicissim ad te scribam quotannis. Lusitani verò, vel facti  
 doctes tui, si ad me cum tuis litteris venerint, eo erunt apud me lo-  
 dico, qui rebus tuis iure debetur. Xaxuma anno quarto. EIVS